

mus: atque etiam in hac, quam damus, analysi Ecclesiastæ (qui li-
 ber citra analysin rectè intelligi nequaquam potest) retinendum
 ac repræsentandum putavimus. in qua dispositione diversa & no-
 mina & signa usurpare licet; nobis autem hoc tempore commo-
 disimum visum est, ordinem quidem distinctionum vario nume-
 rorum aut literarum pro numeris accipiendarum genere; mem-
 bra autem earundem distinctionum ita ordine signare, prout nu-
 meri numeros vel literæ literas sequuntur. In hoc igitur libro
 quum ad sextam decimam distinctionem partitio pervenerit, pri-
 mam literis capitalibus Latinis ab initio versus; secundam interius
 numeris Romanis majoribus; tertiam numeris barbaricis seu ci-
 phris; quartam, quintam, sextam, septimam literis parvis Latinis,
 Græcis, Hebræis, Germanicis simplicibus; octavam numeris Ger-
 manicis; nonam Virgulis, quales in scrupulis Logistica sexagenaria
 usurpat; decimam, undecimam, duodecimam, decimam tertiam literis quadru-
 plicis Alphabeti geminatis; reliquas iisdem singulis, sed ad latus
 appicta cuspide, notavimus. Quibus observatis, facillimum erit,
 partes partibus respondentes contendere, & harmoniam, concen-
 tum pulchritudinemque universi textûs contemplari. Quan-
 quam non eò hoc, quicquid est, edimus, quò putemus, nihil ele-
 gantius atque accuratius posse reperiri; sed, quia in studiosæ juven-
 tutis, quæ nobis credita est, institutione hac uti ratione persevera-
 mus, & ex iis subinde quidam privatim in hoc studiorum genere
 se nobiscum exercent, volui aliquod nostræ methodi exemplum
 extare, ut facilius ductus nostros sequerentur; deinde, quid in sa-
 crarum literarum explicatione quæramus, quidque ab aliis fieri
 optemus, volui ostendere: si fortè doctis & piis hæc ratio non dis-
 pliceat, uti eorum judicio confirmemur; aut etiam majoris scien-
 tiæ & ingenii viros commoveamus, ut nostris conatibus succur-
 rant, ac vota nostra impleant. Quod notas analysi intertextas atti-
 net, in iis brevitatem affectavimus, i. ne analysin nimis diducere-
 mus; ii. ne verbis nostris Lectorem à textu magis abduceremus,
 quàm ad eum adduceremus; iii. quia ab aliis multa bene ac satis co-
 piose annotata ac scripta sunt. in quibus agmen ducit doctissimus
 Mercerus, diligens imprimis variarum interpretationum collator
 atque ponderator: nec postremum obtinet locum Drusius; cujus
 annotationes utilissimas nuper edidit doctissimus D. Bernardus
 Fullenius in Academia Franekerana ejusdem Drusii & Sixtini A-
 mamæ p. m. præceptoris & fautoris mei, laudatissimorum viro-